

41

boream gr. o. scr. 1 1^a, 44 2^a, ac quia per dena unius gradus scrupula proxima decrefcit latitudo borea scrupulis 52 2^a, debentur ἀναλογικῶς scrupulis reliquis 4 1^a, 14 2^a, scrupula 22 2^a. abijcienda. Vera igitur latitudo ☽ est partis o. scr. 1 1^a, 22 2^a. Id est ☽ paululum adhuc abest à nodo deuehente, quem uulgus caput Draconis uocat.

XXX. PRAECEPTVM DE CALCULO DIURNI MOTVS

☽ addatum tempus à prima stella V uel ab adparente æquinoctio.

πρὸς τὸ ἡμέρη
οὐρανίου
ἰσοόμε.

Luna præ cæteris planetis omnibus & plurimum uno die mouetur. & subito uariat cursum suum. Vt enim noua & plena, quando ocyslime currit, minus cietur quàm dimidiata, ita econtra, quando noua uel plena omnium tardissima est, plus tamen conficit spacium quàm dimidiata temporibus ubique æqualibus, ita ut singulis mensibus huiusce uarietatis uicissitudines absoluat, uerum alias aliter, quia nec noua, nec plena, nec dimidiata easdem semper primi Epicycli partes occupat. Sed eadem uel simili mensis parte modo hunc, modo alium situm nanciscitur. Sed recito præceptum. Ad dati igitur diei meridiem siue aliam eius horam quamcunque inquiras uerum Lunæ motum à medio loco ☉. Inde similiter uel ad antecedentis, uel sequentis diei meridiem aut consimilem horam. Aufer motum prioris diei à posteriori. Reliquus enim fiet motus uerus ☽ diarius à medio loco ☉. cui si adieceris æqualem ☉ simplicem diurnum, conflabitur uerus ☽ diarius uel à prima stella asterismi Arietis, uel ab æquinoctio adparente, id quod in præsentia in nullo ponendum est discrimine, eò quod adparentis æquinoctium intra 7. uel 8. dies uix uno secundo scrupulo mutetur. Vt ad nataliciam horam inclyti ducis Borussiae æqualis motus longitudinis ☽ à ☉ est sexag. 5. part. 36. scr. 55 1^a, 49 2^a, & anomalie sex. 5. par. 52. scr. 39 1^a, 11 2^a, per quæ colligitur iuxta doctrinam 24. præcepti uerus ☽ motus à medio loco ☉ sex. 5. par. 38. scr. 26 1^a, 30 2^a. Ad sequentem uero diem 18. Maij ad ecclis motibus diurnis æqualibus constat æqualis motus longitud. ☽ sexa. 5. part. 49. scrup. 7 1^a, 16 2^a. Anomalie uero sex. o. par. 5 scr. 43 1^a, 5 2^a. per quæ uerus ☽ motus à medio loco ☉ colligitur sex. 5. par. 49. scr. 7 1^a, 12 2^a. Iam prioris diei motu ablato ab hoc posteriori relinquitur motus ☽ diarius à medio ☉ partium 10. scr. 40 1^a, 42 2^a, cui adiectus motus diurnus ☉ simplex constituit integrum motum ☽ unius diei à prima stella V partium 11. scr. 39 1^a, 50 2^a. Meminerit autem logista pro antecedente die subtrahendos esse æquales motus a prioribus.

LI XXXI